

res coria mox denigrant, dolia decocto fursuris calente, aut secundo feruefacto magmatis cereuisia implent, miscent ferramenta rubiginosa, scoriam ferri, gallam, chalcathum, & id genus alia: post dies octo aut circiter inspersum corio mox siccatur, & denigrat.

SECTIO DECIMA,

DE VNGVEN-

T I S.



VNGVENTVM ab vtendi modo vocatum est, quia partibus affectis inunctum & illitum diutius ob crassitiam & lentorem haret, quam oleum, tamen sunt proxima: ob id laurinum¹⁰ vel oleum, vel vnguentum maioris nominare bis lib. 1. c. ph. p. in alopecia, & vnguentum oleum. De melinum, & c. tamen oleum rosatum ab vnguento rosato separat lib. 3. simp. cap. vlt. Nam oleum rosaceum est, cui odoramenta non sunt iniecta. Cui autem odoramentorum aliquid iniectum est, non oleum, sed vnguentum cognominant: haec Gal. Vnguentum tamen etiam cum cerato magnam habere affinitatem docet Gal. lib. 4. sanita. tuenda. Quodcumq; (inquit) oleum, cui medicamenta alia, vt betae albae radix & similia incocta vires & qualitatem suam²⁰ tradiderint, vnguentum fiet, si in id, vt loco melius haret, inieceris vel ceræ solius partem quartam, vel etiam resinae partem duodecimam, vel strobilinam, pineam, abietinam, terebinthinam, aut humidam pini resinam, aut eam, quæ in sicilibus habetur, aut φρυκίη, id est frixam.

Vnguentum palmeum ad vulnera cruenta, tumores pestilentes, & exituras, vsta, rupta, contusa, & inde nata

nata ecchymomata: recipit olei veteris, lithargyri, ana libras tres: axungia veteris purgata à membranis & fale, libr. duas: chalciteos, vnc. quatuor: liquatis igni axungia & oleo, in vase stannato, asperge lithargyrum & chalcitin: mouendo continenter tribus palmæ ramis recentibus: & coque ad iustam crassitudinem: iniecto ipsi inter coquendum ramo palmæ vno recenti minutim conciso. Vel lithargyri auri, libræ tres, adipis porci purgata fale & membranis vnc. quinque: chalciteos viridis vncias quatuor, cum ramis palmæ vel cannæ radice moueantur.

Est idem cum Galeni emplastro diachalciteos.

Vnguentum diaphœnicon vlcera cruenta, fistulosa, pituita salsa, maligna, & dysepulotica glutinat: herpetas, tumores pestilentes, & qui ex humoribus variis constant sanat recipit adipis ceruini & vitulini antiqui: mundi & colati ana libram vnã & dimidiam: chalciteos vncias quatuor: olei antiqui & lithargyri puri ana libras tres: chalcitis & lithargyros læuissimè trita & creta cribro tenuissimo, post oleo paulatim affuso simul terantur: addito deinde adipe igni lento coquantur semper mouendo palmæ ramis recens sectis & excorticatis, quorum extremum vbi contactu medicamento & ignis ficcius euaserit, novos substitue: iniectis etiam tum ipsi vnguento segmentis recentibus ramorum virentium.

Vnguentum id Galeni est emplastrum δὲ χάλκιδος, descriptum lib. 1. comp. ph. g. Recipit axungia porci vetusta à membranis per liquationem & colationem purgata libras duas, olei veteris & lithargyri triti & creti, ana libras tres: chalcitidos læuigata vncias quatuor: misce in mortario omnia paulatim. Post coque in cacabo, & moue statim ab initio rudicula tanquam spatha ex ramo maiusculo et recentissimo palmæ, qui parte qua emplastrum tangit, vbi aruit, mox præcidendus est, aut parte opposita moueatur, aut ramus nouus sufficiatur. vbi cerasti crassitiem assecutum fuerit, inijce fragmenta excor-

ticata germinum palmae tenerorum, ut horum succus in medicamento maneat: coque donec digitos non inquinet: nunc vinum, nunc acetum additur pro varijs scopis. Omnium praestantissimum, si quis parare recte, & parato probe uti scierit. In quos affectus autem valeat, & quo utendi modo huic illi affectui proffit, abunde ex Galeno initio emplastrorum docemus. Eo quotidie utimur emplastri forma, quam oleo nunc myrteo, nunc alio, nunc succo plantaginis, brassicae, aut alio molimus pro scopis varijs. Palmae autem ramorum & germinum (a quibus $\rho\alpha\iota\nu\alpha\iota\upsilon\nu$ $\epsilon\mu\pi\lambda\alpha\sigma\tau\epsilon\upsilon$ Galeno & diaphœnicon bis, & palmeum toties Mesuae dicitur) penuria, quercum, aut prunum, aut cydonium, aut sorbum, aut lotum, aut mespilum substituo. Vides quantum à Galeno desciverit Mesues, scilicet ceruino & vitulino adipe pro suillo, cuius pondus his duobus aequat: cetera consentit.

Vnguentum diaphœnicum Arabum descriptione vlcera dysepulota & cacoëthea carne implet, & cicatrice regit, fistulas & cancos curat, & ossa humida glutinat: reci-

† *Mendum* pit foliorum leucoij lutei, saluix, oxytriphylly, † acori ana lib. 20
hic suspica- bram vnam: tere accuratè, affunde olei rosati aut myrtei,
tur Manar. adipis antiqui ex epiploo vituli liquando & colando purgati,
quod acori ana libras duas & dimidiam: in vase lapideo macerentur
folia compo dies nouem: tunc myrrhæ, aloës, ana aureis nouem: sarco-
sitionibus collæ aureis septem tritis & cretis adde succi plantaginis lon-
misceri non gæ, aut vini albi (in quo herbarum prædictarum ana vn-
legerit, nec cia quatuor coctæ fuerint) quantum sufficit ad ea dissol-
hic habetur. uendum, permitte dies sex. Deinde herbas cum oleo & adipe bis feruefac, cola, & exprime oleum & adipem: huius expressi libras quatuor & dimidiã lithargyri puri leuissimè tri- 30

† *Aliàs lib.* ti libras tres, * chalciteos vncias quatuor: coque ut prius, & 30
tres & di- moue ramo palmeo, & semel feruefac vsquedum color medi-
mid. camenti mutetur, tunc ab igne sublaturum continenter mo-
 * *Calcan-* ueatur, donec parum frigescat: tunc coque mucaginem myr-
thum ali. rhæ, aloës, sarcocollæ in vino albo, vel succo plantaginis longæ: & paulatim affundas prædictæ mitioni, pistilloque ferreo
 omni

omnia moue, donec probè misceantur, & perfice coctionem vt in priore. Addunt quidam arnoglossæ, præsertim longæ, libram vnã.

Descriptio hac operosa multum est, neq; maiorum quàm prædictæ virium, aut tam paulò maiorum, vt ob exiguitatem contemnatur, in nulloque sit vsu. Ad hæc acori folia paruum conuenire videntur. Oxytriphylon etiam in vnguentum quoddam viride postea recipietur.

20 **V**nguentum Arabicum idem quod prius pollens, recipit ex foliis herbarum earundem ana libram vnã & dimidiam, olei myrtini, adipis vitulini antiqui, ana vncias nouem, myrrhæ, aloës, ana drach. duodecim: sarcocollæ drach. nouem: dissoluantur in vino, aut succo herbarum, vt proximè diximus: herbæ quoque curiosè terantur. Affunde his oleũ, adipem, & mucaginem, & chalciteos aureos tres: coq; omnia igni lento ad mellis crassitiẽ: vtere in turunda vel platysmate. Species aliquando, æstate præsertim, dissoluuntur succo plantaginis longæ nõ amplè experiẽtiãq; mirabile sit medicamẽtũ.

20 **V**nguentum mirabile relatum ad Nicodemum, vlcera putrida & fistulas purgat, carne implet, glutinat, cicatrice tegit, putredinem arcet: recipit myrrhæ, aloës, sarcocollæ, ana vnciam vnã: mellis despumati vncias sex, vini albi boni quantum sufficit: coque igni lento ad spissitudinem. Quod si vlceri caro supercreuerit, adde vnguento chalciteos vnciam dimidiam. Vnguentum alterum eiusdem: Myrrhæ, aloës, ana drachmas nouem: vini albi. q. s. tritis tenuissimè vinum paulatim affunde, semper miscendo vsque ad mellis crassitudinem: vtere. Addunt nonnulli chalciteos sesquidrachmam: alij olei myrtini & vini portionem paucam vicissim miscent.

30 *Hoc linamenta in vlcus mittenda oblini possunt: sunt & empl. duo diaphœnicon Mesuæ. Hoc ad antiqua vlcera & fistulas quidam chirurgi vtuntur addita chalciti.*

Vnguentum magnum *magnum* vlcera maligna, putrida, fistulosa, sorde & carne mortua purgat, carne implet, glutinat, & cicatrice tegit: recipit autem hammoniæ vnc. vnã: bdellij, thuris masculi, aristolochiæ, sarcocollæ, ana drachm. quinque: myrrhæ, galbani, ana vnc. dimid. lithargyri

Cõsistentia est vnguẽti non emplastri: quo nomine interpreti malè dicebatur.

Vnguẽtum magnum crasseos.

drachmas quindecim : aloës, opopanacis, ana drachm. duas & femissem : æruginis drachm. tres: resinæ drachmas quatuordecim, ceræ albæ vncias duas: olei quantum sufficit hammoniacum & bdellium aceto soluenda, lithargyros terenda, & cum oleo coquenda, donec liquefiat. Tunc depone ab igni, & dum modicè refrixerit, misce hammoniacum & bdellium aceto soluta: redde igni, coque ad iustam crassitiem, tuncque reliqua permisce.

Descriptioni huic propè est eadem Unguenti Apostolorum descriptio apud Auicennam quinto canone. Recipit enim terebinthina, ceræ albæ, resinæ, hammoniæ, ana drachmas quatuordecim: opopanacis, æruginis ana drachm. duas: aristolochiæ longæ, thuris masculi, bdellij, ana drachmas sex: myrrhæ, galbani, ana drachmas quatuor. lithargyri drac. nouem. Hammoniacum & bdellium & galbanum aceto soluta coque in olei libris æstate duabus hyeme tribus: ab hac enim cogitur, ab illa liquefcit: quo nomine à chirurgis hodie vsurpatur. Idem gratiam Dei ob facultatem eius mirificam vocat Antonius de Ianua. Petrus vero Argillata à Mes. dicit craseos vocari, dum coquendo ad iustam crassitiem ceu resçm quandam peruenerit, mollit, terget, glutinat.

Vnguentum craseos paruum, vlcera tam vetera quàm noua terget, carne implet, glutinat, cicatrice claudit: recipit aristolochiæ, ireos, sanguinis draconis, hammoniæ, sarcocollæ, ana vnc. dimid. lithargyri læuigatæ vnc. quinque: coque lithargyrum cum ol. lib. vna, donec liquefiat: tunc cætera, vt diximus, misce.

Hoc paruum mollit, terget, glutinat: sarcoticum magis est quàm magnum.

*Vnguentum
arthanite.*

Vnguentum cyclamini magnum, relatum ad Alexandrum, illitum stomacho, vomitu purgat: hypogastrico autem inunctum, aluum deicit, ob id hydropicos mirè iuuat, ferofum excrementum largè vacuando: vermes quoque necat & educit. Adhibetur non potentib. fumere medicamentum purgans. Recipit succi cyclamini lib. tres: succi cucumeris agre

agrestis lib. vnam: olei irini lib. duas: butyri vacini lib. vnam:
 pulpæ colocynthid. vnc. quatuor: polypodij vnc. sex: euphor-
 bij vnc. dimid. sicca hæc tria, tere & macera dies octo succis &
 oleis in vase vitreo angustioris bene obstructo. Post semel fer-
 uescat: cola: deinde adde sagapeni aur. quinque: myrrhæ au-
 reos duos: prius autem duo hæc aceto dissoluantur, quanto est
 opus: coq; mouendo ad succorū propè consumptionem. Tunc
 adde ceræ vnc. quinque: fellis vaccini aureos quinque: feruescat
 simul donec cera liquatur. Tunc insperge paulatim pulue-
 10 rem hunc scammonij, aloës, mezerei, colocynthidos, turbith,
 ana aur. quinque: euphorbij aur. duos: fâlis gemmæ aur. tres:
 piperis longi, zingiberis chamæmeli ana aur. duos: misce di-
 ligenter.

*Vehemens est, parùmque tutum, nisi in robusto corpo-
 re, aut hydropico. Illud enim ob virium robur medicamen-
 ti vehementia contemnet: hoc seroso multo in ventre ex-
 cremèto obtundet, eiq; vacuato vtilitatem asferet non me-
 diocrem. Eisdem vires Gale. cyclamino soli tribuit, vt pa-
 rum opus esse videatur tanta turba medicamentorū etiam
 20 valentissimè purgantium. Parua eius portio misceri potest
 chysteribus apoplecticorum. Lienem efficaciter minuit. Sunt
 qui succum ebuli addunt. Quo loco Alexander Trallianus
 (quem hic vt alibi passim Mesues citare videtur) nondum
 comperi. Alexander autem Benedictus Hermolai seculo
 vixit, ne quis eum putet citare quenquam 16. cap. Multa
 eius generis exomphalica recenset cathartica. In simpl. cap.
 arthanita bis aliter describit.*

Vnguentum cyclamini paruum, splenis tumores etiam
 scirrhusos dissoluit, & strumas: recipit succi cyclamini,
 30 succi glutinosi ex radice filicis extracti, succi ebuli ana vncias
 nouem: succi summitatum tamaricis vncias duas: olei irini li-
 bras duas: cæsypii drac. quinque: hammoniacci, bdellij ana drach-
 mam vnam & semissim: aceti q. s. ceræ flauæ vnc. sex: corti-
 cum rad. capparis vnc. vnam, & semiss. spicæ nardi vnc. semiss.
 Fiat vt prius.

Ol. de lino
Auen. Zoar.

Vnguentum ex panno lineo Heben Zezar mirabile ad
ulcera maligna, fistulosa, carne implenda: recipit opo-
panacis vnciam vnam, rasuræ panni linei tenuis, puri, anti-
qui vnc. semiss. vini & mellis, & olei rosati, vel myrtini ana
vncias quinque lithargyri, aloës, sarcocollæ, myrrhæ, ana dra-
chmas duas & dimidiam: tere paulatim, affundendo nunc vi-
num, nunc mel, nunc oleum. Adduntur quandoque chalciteos
drachmæ duæ.

*Pannus lineus per se ulcera siccatur, ut etiam quedam
vulnera recentia glutinet. Pro parte vnciam scripsi, & 10
pro parte tertia vncia drach. duas & dimid. & pro quar-
ta drachmas duas.*

Vnguentum ex cantharidibus causticum, phœnigmon
& vesicas excitat, ulcerat: alphos, pannos, lentigines, cu-
tis maculas delet, recipit cantharidon recentium drachm. de-
cem: axungia porci vncias quinque & dimidiam tere simul,
dies septem marcescant: post coque, cola, serua vitreo vase.

*Possis pro taranhel, seu alhaniel, ut quidam legunt (quos
cantharidas interpretamur) campas, pityocampas, vel bu-
brestes miscere.*

Vnguentum rosatum phlegmonas, erysipelata, herpetas
sedat, cephalalgiam calidam & ventriculi ac hepatis in-
temperiem calidam mitigat, sic fit: Axungia porci probè la-
uetur nouies aqua calente, & toties frigida: deinde teratur
cum ea portio æqualis rosarum rubrarum recentium, quæ
marcescant cum ea dies septem: funde igni leuto, cola: rur-
sus tantundem rosarum recentium cum ea tere, quæ dies etiã
septem cum ea marcescant: funde ut prius, & cola: tunc affun-
de succi rosarum dimidium: ol. amygd. dulcium partes sex, co-
que igni lento ad succi consumptionem: reponè. Si inter co-
quendum iniicias parum opij in aqua rosarum soluti, valen-
tius fit: præsertim ad insomnia leuamen.

*Eodem modo ex violis & nymphae flore, & alijs vel
frigidis, vel calidis, vel etiam odoris fieri potest. Hac com-
ponendi ratio ex Dioscoride profecta videtur, dicente adipem
odorados. Non enim adipem per se, sed ijs odoribus imbutos
intellexit. Cum enim temperatus sit adeps & inodorus, ad*

continenda calida, frigida, odora, est aptissimus, vti oleum balaninum Galeno. Opium stupefaciendo dolores placat: somniumque stupidum & grauem refrigerando & velut spiritus animales glaciando facit. Id vnguentum est praestantissimum sine opio. Id enim addi potest vbi eius vtendi necessitas inciderit, nisi forte maior coctione & tempore vires eius frangere. Tunc enim dimidio compositi incoquere opium aqua rosata solutum possis. Adeps membranis ante est exacte purgandus. Mallem ad colandum liquare in vase duplici, quam igni lento. Oleum omphacinum aut rosatum miscueris opio, amygdalino magis refrigerabit: minus prompte altius intro vi sua permeabit.

V Nguentum violatum idem pollet: praeterea pleuritidi & thoracis inflammationi prodest: fit vt rosatum.

Id ad vires praedicti adiecit, quod viola tota sua substantia sint pulmonaria & thoracica, vt inde composita conserua violarum, syr. violatus, mel & saccharum violatum, & id genus alia.

20 V Nguentum papaueris, dolores a calida causa mitigat: fit vt duo priora ex capitibus papauerum albi & nigri, & axungia.

Capita papaueris matura & recentia sumantur potius quam siccata, vt humiditate frigida agant, non sola prope modum frigiditate, vt in Diacodio prius ex Galeno & alijs docuimus.

30 V Nguentum basilicon magnum, vlcera phlegmone carentia, praesertim partium neruofarum, terget, carne implet: recipit cerae albae resinæ, pini, sepi vaccini, picis naualis, thuris, myrrhae ana, olei quantum sufficit. In alio cerae vnc. sex: picis, vnc. tres: aliorum ana vnciam vnam & dimidiam.

Alij etiam terebinthinam addunt vulneribus glutinandis efficacissimam, alij etiam ichthyocollam sed cum caeat id medicamentum (vt ex simplicium temperatura et modo

modo perspicuum est) legendum in Mesue censuimus cum Christophoro & Manardo, quibus non est calor: praesertim cum Avicennas canone quinto sic etiam scripserit, & Serapio in suo Antid. quavis utriusque descriptiones binæ ab hac nonnihil variant.

Vnguentum basilicum minus, recipit resinæ, picis, ceræ ana, olei quantum sufficit.

Idem pollet quod praecedens, sed imbecillius: nam minus calet, terget, glutinat, quam magnum: ob id recentibus capitis & nervosarum partium vulneribus & Ulceribus 10
Paul. lib. 7. fuerit aptius: flavum est colore, magnum nigricat. Basilicon tetrapharmacum Pauli recipit ceram, resinam, colophoniam, picem, adipem taurinum, equalia. Galenus solū resinā, non addita colophonia: adipem taurinum, aut vitulinum Celsus: Cuius loco Mesues & Guido Cauliacus oleum miscent quantum est necessarium.

Vnguentum id basilicon Galeno tetrapharmacum & Paulo dicitur: calfacit, humectat, dolorem sedat. Pus movet ut abundè Galenus docet lib. 4. 5. & 13. metho. & initio lib. 3. com. ph. p. Cum quod idem est Macedonicum solo thure, 20
 quod præterea recipit, æquale, diversum lib. 13. metho.

Vnguentum ex bdellio, epilepsiam, paralyfin, spasnum, ceteros neruorum affectus frigidos ac scirrhosos iuuat: recipit bdellij drach. sex: euphorbij, sagapeni ana drach. quatuor: castorij drach. tres: ceræ drach. quindecim: olei iasmini, aut leucoij lutei, drach. decem: bdellium & sagapenum dissoluantur aqua rutæ agrestis: cætera cum aqua calida vniantur, & fiat vnguentum.

Id vnguentum potèter mollit ac digerit, ut etiam spasnum iam diuturnum, & neruorum iuncturarumq; topnos 30
 ac nodos dissipet: multis ob id in usu est creberrimo.

Alterum idem pollens recipit castorij drach. duas: pyrethri, euphorbij, staphidos agræ, zingiberis, sinapis ana vnc. dimidiam: succi [radicum] asphodeli & rutæ agrestis ana vncias

vncias quatuor: cum succis omnia vniantur: deinde coquantur cum ceræ vnc. quinque: olei rosati vncis viginti: ad succorum consumptionem, coletur, reponatur.

Vnguentum philagrios, spasmus & paralyfin iuuat: recipit ceræ vncias tres: œfypi, succi rutæ agreftis ana vnc. duas: euphorbij, piperis, hammoniacy, croci, thuris, castorij, terebinthinæ, opopanacis ana drach. duas, †styracis liquidi drac. † *Vel myrrhe purioris.*

Hi pro olibani voce vulgi ex Græco tum articulo, tum nomine consarcinata. i. thuris, quidam legunt olei balsami. Pro styrace liquido, id est, myrrha stacte, poni potest myrrha purior, si inuenitur.

Vnguentum aureum vulnera certò & salubriter glutinat: recipit ceræ flauæ vnc. sex: olei boni libras duas & semiss. terebinthinæ vnc. duas: resinæ pineæ & colophonæ ana vnciam vnã & dimidiam: thuris, mastiches, ana vnc. vnã: croci drach. vnã.

Id vnguentum ab auri pretio & colore: est enim præstantissimum. Miror quosdam colorem hunc illi à cinnabrio vulgari tribuere, cum illud non recipiat. Resina, colophonæ, pro vna re legi potest coniunctim, vel pro duabus, resina scilicet pinea, & colophonæ, quæ ex Colophone Asia minoris vrbe afferebatur.

Vnguentum ex cerusa fanat ambusta, erysipelata, scabiẽ siccam, & vlcera calida (vt quæ bilis vsta & pituita salsa excitauit) recipit cerusæ, lithargyri, ana vnc. sex: plumbi vsti, scorix argenti, ana vnciam dimidiam: mastiches, thuris, ana drach. duas & dimidiam: olei rosati, & aceti albi, ana q. s. tritis omnib. in mortario, affunde paulatim nunc oleum nunc acetum, semper mouendo donec pinguescant, velut nutrita. Si argento viuo eget affectus eius, adde drach. quinque, & etiam si opus est, æruginis drach. duas.

Hoc vnguentum est rarum vsu: in eius locum receptum est vnguentum hoc album, seu potius emplastrum de cerusa: Cerusæ lotæ vnc. dua: olei rosati. q. s. Fiat vnguentum in mor

mortario crudum. Alij cerusa, & olei rosati portionē aequalē coquunt ad emplāstri consistentiam. Valentius fit, sed mordax, pauco addito aceto. Sunt qui siccantius reddunt, etiam lithargyri adiectis vncijs duabus, & caphura drachmis duabus, & albuminibus duorum ouorum, & aceto pauco. Intemperiem calidam sedat, vlcera & excoriationes à calore solis (ἐπιδιδας Græci vocāt) strictiore calceo, itinere, equitatione, frictione, coitu cum impura muliere, sanat, nisi virus malignitatis Hispanica insit. Si item vlcera sunt profunda, aut in parte nervosa, vitabis ab aceti acrimonia morsum.

Vnguentum sericinum vtile ad vlcera putrida, excoriationem, vstionem, sic fit: adde vnguento cerusæ prædicto serici drachmam vnam & dimidiam: aloës, myrrhæ, ananciam dimidiam.

Vsu rarum est, tametsi efficax sit, efficacius futurum, si sericum vstum pro crudo acceperit.

Vnguentum de melle qui busilam dicitur.

Vnguentum Aegyptiacum magnum, vlcera antiqua & fistulosa terget, carne mortua & putredine expurgat: recipit æruginis aureos quinque: mellis aureos quatuordecim: aceti acerrimi aureos septem: coque igni ad iustā crassitiam. Addunt aliqui thuris masculi triti aureos duos & dimidium.

Id vnguentum vsu admodum frequens, valentissimè saniem siccatur, sordem deterget, carnem absument, præsertim si oleo caret, ac viride sit ob crudam æruginem. Si verò cocta simul est, rubrum fit, & moderatius vnguentum nec ægros terret: præsertim si oleum acceperit, quanquam crudum cum hoc non sit mitius. Nam æruginem recipit largiorem, cui oleum in partes penitiores aditum parat: vide 30 melina ex æruginē vsta lib. 2. c. ph. g. Diuersum ab Aegyptijs & fuscis emplāstris in sine lib. 3. c. ph. g. descriptis. & ab Aegyptia fabas Aegyptias recipiente lib. 3. comp. ph.

p. Ex Gale. tamen lib. 3. metho. & lib. 2. c. ph. g. de Viridib. emplastris sumptum est.

Vnguentum tripharmacum sarcoticum & epuloticum: lithargyros lauiſſimè tritus, oleo viciffim & aceto paulatim affuſis in mortario, mouetur ad iuſtam craſſitiè. Vel lithargyri. aceti ana vnc. vnam: olei vncias duas, coq; igni lento ad craſſitiem.

Vnguentum de lithargyro, & emplaſtrum tripharmacum Gallis vulgò dicitur. Gale. lib. 2. c. ph. g. facit cum hydro-lao, & oxelao, & ænelao: docet q; ibidem vſum crudi lithargyri.

Alij lithargyri nunc crudi, nunc aqua roſarum loti, vnc. tres: aceti vnciam vnam & dimidiam: olei roſati q. ſ. terunt in mortario ſine cera, vt vnguentum de ceruſa. Vtrunq; coquendo etiam fit cum pauca cera, vt ſolidius & tenacius euadat, ſed minus tunc refrigerat. Prodeſt ſcabiei, & cutis vlceribus. Vt vnguentum ceruſa primum. Vtrunq; triphar. Meſua eſt in vſu: illud expertum: hoc coctum quidam vocant.

Vnguentum pſoricum Alexandri, pſoram, id eſt, ſcabiem ſanat, impetiginem à pituita falſa, cutis aſperitatem, & alia cutis vitia terget: recipit ceruſa, lithargyri pſorici, aloës, croci, cadmiæ argentariæ, argenti viui extincti, ana portionè æqualem cum oleo oleandri, & aceto quantum ſ. Fiat ſicut vnguentum de ceruſa.

Oleander Dioſco. dicitur nereon, alijs rhododendron. Latinis ſofandrium. Pſoricum Dioſco. fit ex chalciteos partibus duabus: cadmiæ parte vna, tritus cum aceto, Galeno autem ex chalciteos partibus duabus: lithargyri parte vna. Meſua verò aliter.

Pſoricum medicamen compoſitum ad fiſtulas, caneros, ſcabiem ſiccam, lepram, carnis putridæ incrementum: recipit lithargyri albi, chalcanti, ana partem vnam: aruginis partem dimidiam: terantur die vno in ſole æſtiuo cum aceto acerrimo paulatim affundendo. Deinde in vaſe vitreo probè obſtructo condantur ſub ſimo diebus quadraginta.

Vnguen

Vnguentum vlcera sanans antiqua, dysepulotica, recipit aloës, myrrhæ, ana partes æquales: tere cum succo abfinthij, chelidonij, plantaginis, ad mellis consistentiam: ex linamento adhibe.

Hoc sine oleo & cera fit: in usu non est, tamen est efficax, & paratu facile. Efficacius multo reddit Mesues cap. de aloë. si paucus sanguis draconis misceatur.

Vnguentum ad scabiem expertū: axungiae vncias quinq; olei laurini, argenti viui, ceræ puræ, mastiches, thuris albi, ana vncias duas: salis communis vncias octo: succi plantaginis & fumarie q. f. Ceram & axungiam nouam membranis purgatam, & oleum laurinum cum succis coque simul in vase stannato donec liquefiant, tunc adde pul. salis mastiches & thuris: cum percoctum erit, & ab igne ablatum, adde argentum viuum saliuā extinctum, & pauco olei laurini, spatha diu misce. Illinitur vespere ad dies octo.

Suspectum est ob argentū viuum, præsertim prope partes principes: hoc si sustuleris, tutum erit, neque inefficax.

Vnguentum citreum.

Recip. chrysocollæ vncias duas: caphura drachmā vnā: corallij albi vnciam semis: amenti dulcis vnciam vnā: vmbilici marini, tragacanthi, amyli, ana drach. tres: marmoris, crystalli, anthallis, dentalis olibani albi, nitri, ana drach. duas: iersæ, serpentaria, vnciā vnā: cerusæ vncias sex: tragacantho & vmbilico marino simul tritis, cætera deinde cum his terantur, cernantur panno tenuissimo, axungia porci recentis sine sale libra vna semis, & sepi caprini vncia vna semis. & axungia gallinæ vncia vna, simul in vase duplici liquatis & colatis: addantur semper mouendo rudicula pul. prædicti, præterquam chrysocolla & caphura tunc addenda, cum omnia simul feruebunt: quando ab igne tollenda, & semper agitanda, donec refrixerint. In vna libra pul. sint libræ octo axungia colatæ. Succus acidus duorum aut plurium citreorum malorum. Vnguenta hæc si la situdinem

dinem tollunt, *αυγάκια*, & interdum absolute *ἀκονα* vocantur Gale. lib. 4. sanit. tuendæ, quale hoc illi est celebre. *Libr. 4. san.*

Acopum ex abietis semine ad coquendum, aut per halitum digerendum, succos in carne, & tota corporis mole congestos, crudos, vel acres, ad omnem lassitudinem, vel spontaneam vel alia ratione contractam: Abietis seminis exactè maturi (quale septembri mense in Italia colligitur) contusi, ut citius oleum sua vi & qualitate inficiat, modium Italicum quolibet anni tempore (nihil enim in ea re
 10 est discriminis) in iuce in olei relaxantis (quale in Italia est Sabinum, alibi vetus) heminas Italicas, seu libras quinque & viginti, maceretur dies minimum quadraginta vel potius tres, quatuor, & etiam multò plures menses. Tunc semen expressum ab iuce, oleum linteo percola. Ei utpote iam parciore misce ceræ libras quatuor: resina abietinæ, resina pineæ, ana uncias quatuor, vel harum desiderio terebinthina. Coques verò commodius in vase duplici, aut igni lentoprunarum non multarum. Acopum seu myracopum
 20 *δικὰ τὸ αὐγίον τῶν ἀκων*, ex populi nigri floribus, ad eadem effica. Ex floribus populi adhuc conniuentibus, sed modicè tritis, modius Italicus immittitur in libras quindecim aut viginti olei sabini, aut alterius tenuis citra adstrictionem: moue quotidie, potissimum cum sol feruebit, & in domo calida reponere: celerius ita vis & qualitas populi in oleum migrabit. Post duos aut ternos menses floribus expressis & abiectis, oleum habes digerens per halitum sine morsu vlllo, non minus quàm abietinum. Addere potes ceram & resinam quantam abietino. Si verò oleum expressum est crassius, & qui eo vsurus est, liquidiore medicamento delectatur, quinta vel etiam sexta ceræ pars suffecerit. Si verò seminis abietis & florum populi macerationem expectare non potes, oleum cum seminibus vel flori-

bus contusis mistum injice in aqua vel vini (si affectus ad-
est podagricus vel articularis) partem quartam vel quin-
tam, ne iniecta torreantur, aut oleum vstionem odore rese-
rat. Percoque igni lento, donec aqua aut vinum totum co-
quendo vaneat. Quidam curiosius id parantes in vase
duplici coquunt. Succos non crassos, nec lentos in cute & car-
ne residentes dissipat, vt oleum chamemeli, anethi, roris-
marini per se vel cum cera & resina.

SECTIO VNDECIMA, DE CERATIS.



CERATUM à cera dicitur, qua for-
ma Græcis κηρότη Vel κηρίλαιον, à cera 10
& oleo: quibus cera miscetur, vt det
materiâ, quæ minus promptè diffluat.
Quod etiam Gal. innuebat lib. 4. san-
tuend. cum succos non crassos, nec lentos
ad cutim residentes digerit oleo sampsychno, præsertim
hyeme & regione frigida, per se, vel cum cera & resina:
præsertim cum super vntum corpus manere diutius stu-
des: quod si liquidius vis, auge oleum, minue ceram, &
alia corpus & materiam præsentia. Cum in ceratis scribi-
tur cera quantum sufficit, oleum sit quadruplum ad ceram; 20
vt si recipiat olei vnc. duas, misce cera vnc. dimidiam. Si
verò scribatur cera parum, sit eius sexta, aut septima, aut
octaua pars ad oleum, vt linimentum sit liquidum veriùs
quàm ceratum: idque magis & minus pro Medici scopis.
Quò enim plus habent cera, eò solidiora sunt: quò minus,
tanto liquidiora: nisi aut longa coëlio, aut succorum largior
mistio, cera modo duram reddat compositionem. Sit ob id li-
quidius ceratū, cum sicca multum, & multa sint miscenda.

Cera